



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harpii Theologi Eruditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De primo gradu patientiæ, & quòd in quatuor obligamur inimicis, & quòd
remiſſio peccatorum attribuitur remiſſioni iniuriarum propter tria. Cap.
LXXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

um requiescit Dominus. Anima verò conturbans conturbata sedes est demonum.

De primo gradu patientiæ, & quòd in quatuor obligamur inimicis, & quòd remissio peccatorum attribuitur remissioni iniuriarum propter tria. Cap. LXXVII.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Dicit Cyrillus super Lucæ & illud Lucæ: *Dare, & dabitur vobis*: Quòd ampliori manu recompensationem accipiemus à Deo, qui largissimè donat diligentibus eum, hoc est, pro eius amore proximo remittentibus, ostendit, subdès: *Mensuram bonam*, scilicet veniæ; & *confertam*, scilicet gratiæ; & *coagulatam*, spiritualis lætitiæ; & *superfluentem*, æternæ gloriæ; *dabit in finem vestrum*: quia ipsi, quibus remittitis, erunt causa quòd Dominus dabit. Et si prima facie videatur intelligi de eo, quod ait: *Dare, & dabitur vobis*, multo magis tamen verificatur in eo, quod præmittitur: *Dimittite, & dimittetur vobis*, scilicet, quod mortiferum est, & dabitur quod saluiferum est: quia nullum genus eleemosynarum est maius, quam id, quòd ex corde dimittimus, quòd quis in nos peccauit. Nec potest esse in homine maior expressio similitudinis diuinæ, quàm propter Deum omnes iniurias animo grato suscipere, ac in se peccantibus clemèter indulgere, eosq; ex intimo corde diligere: & ideo similis Altissimo, imò filius Altissimi cèsetur in Euangelio. Magnū est ergo præconium pietatis. Reddit enim hæc virtus nos Deo conformes, & quasi quædā signa sublimis naturæ nostris imprimat animabus, ut dicit Cyrillus. Et tunc veraciter est anima inter filias, sicut lilium inter spinas, complectès perfectā patientiā, quæ tribus gradibus attingitur. Primus gradus est incipientium, de quo dicit Bernardus: Qui initiatur à timore, crucem Christi sustinet patienter, sed optaret omnino, si fieri posset, quòd in hanc horam non venisset. Veruntamen nō desperet qui eius modi est, si molesta sibi videatur iniuria vel tribulatio, quam patitur, si desiderat ut calix ab eo transferatur, dummodò addat illud: *Verū tamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: nec tamen sit salute contentus, sed inquirat pacem, & persequatur eam, ne salus ipsa sit eidem in periculum. Pax autem ista comprehenditur ab hominibus bona voluntatis. Bona verò voluntas, est ordinata voluntas, quæ consentanea est rationi, dicenti: *Quia non sunt condigna passionis huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Et sic faciet de necessitate virtutem,

tutem patienter sustinendo. Quae dici potest patientia repressio, quae scilicet quis reprimit ab actu vindictae manum, & animum à voluntate nocendi, quamvis offensa maneat alta mente reposita: ex qua erga inferentem refrigescit amoris affectio, nec in aduersis compatiens, nec in prosperis congaudens, & alijs imperfectionibus maculata. Sūt enim, quorum vindicta repressio non procedit ex radice patientiae, sed potius ex impotentia vindictae, vel ex aliqua peregrina suppositione, non ex diuino timore, refranantes manum, non affectum: nec est virtus patientiae, sed velamen malitiae. Pro quo notandū, quod de necessitate salutis obligamur inimicis nostris in quatuor. Primò, tenemur eis remittere offensam nobis illatam, etiam necdum veniam petentibus, sed adhuc in actu, vel affectu persequendi persistētibus: hoc est, deponere tenemur rancorem ex appetitu vindictae procedentem, ita ut diligamus in eis naturam à Deo conditam, & hoc in generali, sicut ait Ecclesiasticus: *Relinque proximo tuo nocētē te, & tunc deprecāti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à Deo querit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* Veruntamen non tenetur illam remissionē ostēdere signis exterioribus, quamdiu manet iniuriā in actu persequendi vel iniuriandi: sed hoc esset perfectionis & supererogationis. Secundò verò, de necessitate salutis tenetur veniam petenti, & persequi desistenti remittere etiā punitiōnem, quae sit ex zelo iustitiae: si tamen praesumitur, quod hoc non sine faciat, praeterquam in duobus casibus. Primus, si taliter iniuriatus, fuerit superior iniuriantis: tūc enim obligatus esset ad illius correctionem. Secundus, si fuerit damnificatus in persona propria, vel coniuncta fama, terrena substantia, &c. tunc enim esset licitum emendam petere propter illatum damnum, quia tunc petit quod suum est, sicut creditor petit debita sua. Hoc enim petit in oratione Dominica, dicens: *Dimitte nobis debita nostra*, scilicet satisfacere paratis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est, iniuriantibus nobis satisfacere paratis. Veruntamen de illatis iniurijs, quae sic inferuntur, quod reddi non possunt sine vindicta, non sunt debita repetenda: quia nihil prodesset, si percussus alium repercuteret, cum per hoc non restitueretur in corpore, quod laesum est, sed magis esset vindictae solatium. Possit tamen peti aliquod aliud recompensatiuum iudicio proborum, nisi supererogationis affectu perfecte cuncta remitteret, exemplo sui Creatoris, qui, secundum Bernardum, tam liberaliter omnem donat iniuriā,

Inimicis
debemus.

Eccli. 28.

Punitio an
remittenda.

Matth. 6.

riam,

riam, vt iam non damnet vlciscendo, nec confundat improperto, nec minus diligit imputando. Tertio, proinde de necessitate salutis ad familiaritatem non ficit, sed pure se ingerenti, tenetur familiaritatem exhibere, saltem communia & exteriora signa dilectionis eidem ostendendo, nisi verisimiliter ex illa familiaritate peior iactura timeretur. Hæc tamen ostendere adhuc actualiter persequentibus, perfectionis est. Quarto denique, tenetur illis optare bona gratiæ & gloriæ: & etiã ad hoc cooperari, pro loco & tempore. Dicit enim Glossa super illud: *Orate pro persequentibus*, &c. quod tria sunt quibus maculatur Ecclesia, scilicet animus, lingua & manus. Sed contra malitiam animi, diligit odientes, contra malitiã linguæ, orat pro inimicis, & contra malitiam manus, dat adiutorium nocentibus & persequentibus. Non tamen quis obligatur ad orãdũ pro tẽporali vel corporali prosperitate inimici, sed sufficit quod non optet contrariũ, nisi eo intuitu, quod per temporalem vel corporalem aduersitatem ei subtrahatur facultas nocendi proximo, vel manendi in peccato. Sicut S. Anastasia scripsit B. Chrysogono, vt oraret contra virũ suũ pagauum, si Deus eum prãuideret in malitia perseueraturum, quod eum de mũdo tolleret, & pacem suis cultoribus daret. Sic etiam tenetur quis inimicis exhibere communia beneficia, cum cæteris Christianis corde, ore, & opere impendenda. Hic quæri potest, Cur peccatorum remissio maximẽ attribuitur actui, quo proximis indulgemus, dicente Domino: *Dimittite, & dimittetur vobis*. Ad hoc dicendum, secundũ Bernardinum Senensem de religione Christiana, quod hoc est propter tria. Primo, propter excellentiam illius actus, vt ostendatur eminentia virtutis eius, & quã singulariter Deus ipsum actum indultionis præcepit, exigit, & acceptat. In cuius mysterium simul & exemplum Iesus in cruce pendens, cunctis alijs præposuit illud verbũ mellifluum: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Vnde virtus hæc, qua scilicet proximis indulgemus, tantã reputatur excellentiã, quod eam Gregorius amplectitur velut martyrium, dicens: *Mori à persequente, martyrium est in aperto opere: ferre verò contumelias, & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione*.

Secundò verò propter correspondentiã actus illius, quia quandam habet condignitatẽ, & proportionabilitatem mutuã correspondentiẽ & decentiã, eò quod indulgere & indulgentiam impetrare sibi mutuo correspondent, sicut Dominus in beatitudinibus ad merita varias

Y y corre-

correspondentias præmiorum assignauit, vbi pauperibus, *regnum caelorum*: mitibus, *terram* viuentium: lugentibus, consolationem: mundis corde, Dei visionem: esurientibus & sitientibus, saturitatem repromisit. Sicutiam misericordibus, singularem misericordiam assignauit, dicens: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Vbi dicit Glossa: Merito misericordibus impenditur misericordia, vt plus accipiant, quam meruissent. Et sicut plus recipit, qui vltra saturitatem habet; quam ille, qui tantum habet ad saturitatem: sic maior est gloria misericordiae, quam præcedentium beatitudinum. Sic etiam magis profua largitate Deus remittit remittentibus, vt *eadem mensura*, qua *mensi* fuerint, remetiatur eis: quia, secundum Augustinum, nullum genus eleemosynarum est maius, quam id, quod ex corde dimittimus, quod quis in nos peccauit. Cui singulariter in recompensationem debetur mensura bona veniæ, cõferta gratiæ, coagitata spiritalis lætitiæ, & supereffluens æternæ gloriæ.

Tertio deniq; propter actus huius experientiam, vt per hunc actum ostendatur, quod actus amoris in præsentem, prout in Deum absolute refertur, non est perfectus, nec per consequens Deo perfecte gratus, nisi descendens ad dilectionem proximi se valenter extendat, vsque ad inimicos, & vsque ad gratam & liberam indulgentiam omnium offerentiarum, non impropere, non rememorando, non minus diligendo. Cuius ratio est; quia Deus est inuisibilis, proximus autem visibilis. Cum igitur actus quidam diuini amoris sapius falsam habeant similitudinem puri & sinceri amoris, qui ab amore naturali non potest de facili à minus expertis discerni: (Actus autem, quo quis ex corde remittit iniurias, & per amorem amplectitur inferentes, facillime est cognoscibilis) ideo vult Deus, quod veritas sui amoris in homine visibili comprobetur, qui tanquam imago Dei nobis proponitur loco Dei, in quo probabilius probari potest, si verè Deum diligit, saltem in illis actibus, qui naturæ nostræ sensibilibus repugnare noscuntur. Hinc in Canonica Ioannis dicitur: *Si quis dixerit, quia diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est*: quia dilectio Dei includitur in dilectione proximi. *Quis enim non diligit fratrem suum, quem videt; Deum; quem non videt; qualiter potest diligere?* Quali dicat, Non est probabile: quia dilectio proximi via quædam est ad dilectionem Dei. *Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligit & proximum, scilicet amicum in Deo, & inimicum propter Deum.*